accessimus iterum ordine, quo prius, et sacras reliquias deosculati sumus et nostra munera, aurum et argentum, in sarcophagum obtulimus, quidam quatuor ducatos, aliqui tres, aliqui duos, major pars unum ad minus posuit ducatum, et cum hoc decantavimus juxta tumbam antiphonas et collectas in processionali signatas et indulgentias (††) plenariae remissionis habuimus. Sacrista autem recollectis offertoriis sarcophagum reclusit.

Tumba est in dextra parte chori in eminentiori parte reposita de marmore candido et polito facta, in ejus superficie per circuitum sunt sculptae aliquae imagines et plantulae cum foliis, nec est ad longitudinem staturae hominis facta, sed multo brevior, quia solum pro ossium conservatione fuit facta. Multae ardentes lampades pendent juxta eum, quae olim nutriebantur de oleo, quod sudavit de membris virgineis, sed miraculo hoc cessante membra oleo quidem erant plena, sed non sudabant, nisi quando fortiter fricabantur. Unde legi in peregrinalibus antiquis, quod petentibus peregrinis fricabant monachi aliquot os virginis et desudans oleum accipiebant peregrini. Sed et hoc miraculum cessavit et subsecutum fuit aliud. Nam singulis annis in profesto virginis advolaverunt quaedam ignotae aves pulcherrimae, rostris ferentes ramos olivarum virides et olivis repletos et super tectum ecclesiae residentes ramos projecerunt deorsum, quos fratres tollentes oleum saporosum et nobile expresserunt in tanta copia, quod per annum pro cibo et luminibus abundabant. Tandem autem et hoc miraculum cessavit, quia vel tempus miraculorum transivit, vel quia abusus miraculorum fuit, vel quia indignitas et peccata miracula impediverunt, vel quia aliunde provisum de Deo fuit, quia est regula theologorum, quod Deus non facit miracula, nisi exigente magna necessitate. Olim autem dum fratres sancti essent in loco, qui in penuria vivebant et paupertate squalebant, Deus miraculose providit, quia omnem spem in ipsum jactabant, juxta illud (57 a) psalm LV.: Jacta cogitatum tuum in Domino et ipse te enutriet. Item: tibi derelictus est pauper. Successu autem temporis incipiebant timere paupertatem et curam de se ipsis gerere et eleemosynas quaerere et reditus emere et thelonea

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;